

Venceslaus Bohemia et Poloniae

Rex consortem suam Pragae coronat

et Poloniae Bohemum praefectum

dat.

219

In festo Pentecostes anni ejusdem Venceslaus Bohemiae et Poloniae Rex consortem suam illustrissimam Richascham Elisabeth Premislui Poloniae Regis filiam et ob nobilitatem generis et resplendentiam nobilitatis charissimo diligens affectu, volensque illi ampliora insignia, et apud externos, et apud proprios procurare, de speciali et expresse consensu Moguntinensis et Gnesnensis Archiepiscoporum eam in Reginaem Poloniae et Bohemiae Regnorum in Ecclesia Pragensi per Henricum de Wirbna Vratislaviae Episcopum coronari et inungi sub plurimorum Baronum frequentia disposuit, Curiamque Regalem illo et subsequentibus diebus celebrans hastarum et aliorum generum ludos instauravit. Nicolaus insuper Oppaviae dux à teneta et Capitaneatu Regni Poloniae propter querelas et oppressiones, quae de illo afferbantur, amoto, Frieslunem de Schachowitz Bohemum

• Bohemum in Regni Poloniae et Terra-
rum Pomeraniae et Silesiae Gubernato-
rem et Capitaneum ordinat et consti-
tuit.